

68 63

D. D.
DISSERTATIO ACADEMICA,
DE
LUXU
ROMANORUM,

QUAM,
Consentiente Amplissimo Senatu Philosophico
in Regia Academia Aboënsi,

Sub CLYPEO

CAROLI FRIDERICI
MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESS. Reg. & Ordin. PASTORIS
in Rändämäki, & R. Scientiarum Acad.

Holm. MEMBRI,

SPECIMINIS gratia

Publico examini modeste submitit

PETRUS SONCK, Abr. Fil.

RAUMOA - FINLANDUS.

In Auditorio Maximo Die XVI. Maji,
Anni MDCC LII.

H. A. M. S.

ABOÆ, impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB. MERCKELL.

VIRO
Amplissimo atque Celeberrimo,
**DN. HENRICO
HASSEL,**

Eloquentiæ in universitate, que Aboæ floret,
PROFESSORI Regio & Ordinario,
h. t. RECTORI MAGNIFICO.

MÆCENATI MAGNO.

Ignoscas, queso, Vir Celeberrime, nimia audacia,
quod Nominis Tuo studiorum hasce primitias, rudi-
licet Minerva elaboratas, consecratas voluerim. Fa-
ctum hoc est non sine caussis multis & magnis & necessa-
riis. In Te enim, ex quo in numerum civium Academi-
corum cooptatus sum, habui Inspectorem, & studiorum,
quorum rationem Tibi reddere obligatus sum, Promo-
torem benignissimum. Hinc Te in primis presentis o-
pellæ conscientum arbitrum quo cupio, quo, an probanda
veniat sedulitas nostra, an quid offendit, vix quis-
quam verius existimabit. Favor insuper singularis,
que

quo me, Vir Amplissime, perpetuo amplexus es, fuit
tantus, ut illius memor, non possum, quin eundem hu-
millima mente jam publice agnoscam. Hinc orta spes,
qua unice suffultus, hocce juvenilis diligentiae speci-
men, levissimum quidem, & in argomento, cui rite
pertractando vires meae non suffecerunt, non ut munus
quoddam, sed ut sinceræ pietatis ac animi venerabun-
di testem & interpretem Tibi offero & dedico. Hoc
ut serena excipere velis fronte, & mibi sic ut antea
ita in posterum favere pergas, etiam atque etiam ro-
go. Mibi nihil erit prius, antiquius nihil, quam Su-
prenum Numen piis venerari precibus, velit Te,
Mæcenas Magne, per longam annorum seriem vege-
tis conservare viribus, ut Republicæ literariæ, No-
bilibissimæ Tuae Familiæ, Clientibusque Omnibus quam
diutissime vivas, vigeas, & floreas! Ad cineres us-
que permaneo

Amplissimi atque Celeberrimi
NOMINIS TUL,

etiens devotissimus,
PETRUS SONCK.

VIRO plurimum Reverendo atque Preciarissimo,
Dn. JOHANNI HOECKERT,
PASTORI Ecclesiae, quæ Christo Neostadii colligitur, Me-
ritissimo, FRATRI Carissimo, omnis observan-
tiæ cultu prosequendo.

VIRO perquam Reverendo atque Doctissimo,
Dn. JOHANNI PETÉCHE,
CONCIONATORI Legionis Equestris Prætorianæ Dignis-
simo, ut AMICO singulari, ita quovis officii ge-
nere semper colendo.

VIRO admodum Consilio atque Prudentissimo,
Dn. JOHANNI STENGRUND,
SENATORI erporii Raumoënsis Dexterrimo,
FAUTORI & BENEFATORI, omni
honoris cultu prosequendo.

VIRO perquam Reverendo atque Doctissimo,
Dn. JOH. GEORGIO LOWEEN,
PASTORIS in Finström ADJUNCTO Commendatissimo,
CONSOBRINO Dilectissimo,
Honoratissimo.

In gratissimi animi pigrus, ob plurima in se collata be-
Fautoribus, Benefactoribus, Fratribus, Consobri-
rioris favoris, calidissimis simul adjectis pro Vesta

NOMINUM

cultor observantissimus
PETRUS

VIRO perquam Reverendo atque Doctissimo,
Dn. SAMUELI MELLENIO,
SACELLANO Ecclesiae Neostadiensis Laudatissimo,
FAUTORI ac AMICO grata mente nullo
non tempore colendo.

VIRO Consilio atque Prudentia maxime Conficcas,
Dn. HENRICO SONCK,
Curiæ Raumoënsis CONSILIARIO Aequissimo, FRATRI
GERMANO omni fraterna carita-
te honorando.

VIRO maxime Industrio atque Spec'atissimo,
Dn. ABRAHAMO SONCK,
Tabularii, quod Rumoë est INSPECTORI Accuratissi-
mo, FRATRI GERMANO, sincero affectu
jugiter colendo.

VIRO Spectatissimo atque Prudentissimo,
Dn. JOHANNI RAHGO,
MERCATORI Raumoënsium Laudatissimo,
ob innumera beneficia nec non jura affinitatis singu-
lariter honorando.

neficia , tirocinium hocce studiorum , Vobis, Dominis,
no ac Affini honoratissimis, offert, nec non in spem ulti-
Vestrorumque incolumitate, votis, dat, dicat, dedicat

VESTRORUM

atque fidelissimus ,
ABR. SONCK.

HANDELSMÄN-

Ereborne och Högväl-

HERR AND. PETTEX,

Mine synner.

NR 100. SONGK. TÄTTRI

AT tilskrifva Eder, Mine Herrar och Wälgynnare,
vara, och at vid detta tilfälle offenteligen beprisa
gunst och godhet, hvarmed Mine Herrar mig stedse
ningar, hvilka äro så många, at min talegåfva icke for-
beprisa, har jag bördt på sadant lätt å daga lägga mitt
mäle af den uprichtiga högaktning jag för Mine Herrar
de mig vedertarna välgierningar; och hoppas jag
detta företagande icke obenägit varder anseet. Des-
vitne om den bön, jag altid bär fram för then
nads beständiga välmågo. Förblifver

Mine

MILJÖTTEN

hörsamste
PETTER

NR 100. SONGK.

NERNE i Nyfstad, HANDELSMANNA

achtade HERRAR,

HERR GEORG YLÉN,

lige Gynnare.

detta mitt ringa arbete, har jag funnit min skyldighet
så bevågne välgörares ynnest. Emot den synnerliga
omfamnat, samt de mig tidt och ofta ertedda välgier-
mår dem upräkna, och än mindre, som billigt yore,
förbundna sinne. Här är altiå ett ehuruväl ringa veder-
hyft och ständigt hyser, samt ett tackslämhetets teckn mot
säkert, så vida J plägen taga viljan för väret, at
sa blad skola ock vara en säker pant och troget
Högste om Mine Herrars, samt deras kiära omvård.

HERRARS

tjenare
SONCK.

HANDELSMANNEN i Nyftad, MINNEN

Äreborne och Högvälachtade

Herr HENRIC RIWELL,

HANDELSMANNEN i Stapel-Staden Åbo,

Äreborne och Högvälachtade

Herr ANDERS FONTÉN,

Samt

HANDLANDEN i Raumå,

Äreborne och Wälachtade

Herr MICHAEL PACKALIN,

Samtelige Mine Herrar och Gynnare.

D En ynnest och bewägenhet Mine Herrar mig i mång-faldig måtto bewist, förbindet mig til skyldig er-känsla. I anseende härtil har jag detta mitt ringa Academiska arbete, theruti jag korteligen beskrifwit Romarenas öfwerflöd, såsom ett prof af den högachting jag för Mine Herrar hyser, och til en tackfamhets underpant för de många mig bewista wälgierningar, Mine Herrar till-skrifwa skolat; som jag ock under trogen önskan om be-ständig wälgång framhärdar

Mine HERRARS

hörfamme tjenare,
PETTER SONCK.

I. N. 7.

§. I.

POpulus Romanus , ut fortitudine & rerum gestarum gloria ceteras fere superavit gentes, sic mores & instituta vitae , resque familiares & domesticas vix ulla gentium melius & lautius tueri, atque rem publicam melioribus temperare legibus studuit , quam idem hic populus. Bellicas ejus persequi laudes si vellem , tantundem esset , ac si vastissimo me immitterem pelago. Id hoc de genere dixisse tatis erit , Romulidas ex parvis initiis natos , armorum gloria in illud surrexisse fastigium , ut constituerint imperium , quod amplitudine & mole sua orbi terrarum formidabile est visum. Sensim ab ipsis primordiis , de legibus , quibus contineretur societas ; solliciti fuere rerum præfecti , quas partim aliunde sumserunt , partim proprio sanxerunt ingenio & prudenter , tam ad statum reipublicæ , quam ad singulorum utilitatem accommodatas. Jus , quod statum reipublicæ concernebat , sive publicum , non ea tantum , quæ ad res humanas pertinerent , verum etiam ad religionem spectantia curabat. Videbant enim viri principes , publica , si leparentur a divinis , non constare , nec civitatis salutem sine religione obtineri posse , quam-

vis, ut reliqui gentiles, tam circa objectum quam modum cultus religiosi multum a vero aberrarint. Inter publicam & privatam rem quum arctissimum intercedat vinculum, adeo ut male membris habentibus pesima sit futura totius corporis constitutio; igitur etiam huic æquis & salutaribus consulere præceptis consultum duxerunt. Sub regio imperio leges non fuisse multas, credibile est. At paucis hisce stare tamen potuit respublica. Regia enim potestas, quæ dicto annuere cogit, multitudine illa legum commode carere potuit. Paucitas hæc nec ex parte civitatis detrimen-
to erat, utpote quæ arctis adhuc contineretur limitibus, neque opibus, quæ vitiis alimenta subministrant, abundaret. Regibus vero exactis, quum ad consules summa rerum esset delata, cum majori libertate una ampliores opes & terminos sensim accepere Romani. Honore, potentia, finibus & divitiis sic amplificatis, augeri cœperunt vitia, veteribusque nova accesserunt. Ambitio, avaritia, voluptas, tres illæ regnorum pestes, malorumque exitialium fontes, ex viribus & opibus, quas respublica aliunde adquisiverat, pullantes, in ipsa ejus viscera sœvire incipiebant. Quibus morbis, ne fatalis imperio hora impenderet, qui medicas applicare voluerunt manus, legum terminos & pomœria pretendere necesse habuerunt. Hinc legibus de ambitu, ambitionem reprimere, agrariis & frumentariis avaritiæ terminos ponere, & sumptuariis luxum, quæ ex voluptate enata, nervos reipublicæ incidebant, coercere, e re erat. Luxum hunc Romanorum levi adumbrare penicillo constitui. Magnitudini

tudini vero operis vires meas impares esse fateor; proinde præcipua aliqua leviter attingere animus est, & quo par est studio Te B. L. rogo, pro crimine pone-re caveas, quod infirmitati tribuere Te rei difficul-tas jubet.

§. II.

Quid per luxum a nobis intelligatur, quidve cir-
ca illum sit licitum, quid illicitum, quid decorum,
quid indecorum, fusius explicare non constituimus,
ne quod actum est ab aliis, agere videamur. Intelli-
gimus hic immodicam quandam corporis voluptatum-
que curam, & præcipue nimium usum rerum in com-
mercium venientium, in quantum splendori & volu-
ptati inserviunt. Roma in flore nihil non earum re-
rum, quæ ornatum & delectationem adferrent, habe-
re potuit. Sita in meditullio tere orbis terrarum, vi-
cinas habuit regiones, saltim non adeo longe distas,
in quibus per longum tempus artes quæcunq; manua-
riæ viguerant, insignisque vitæ splendor exstiterat.
Ipsa licet commerciis artibusque, quibus ruditis mate-
ria elegantiori forma induitur, non magnopere utere-
tur ad amplificandum suas opes, non necessitatibus
modo, verum etiam jucunditati sufficienes; armis
tamen Europam, Asiam & Africam felici successu
peragrandibus omnia sibi acquisivit, & tantum auri,
argenti, aliarumque rerum de omni naturæ regno
triumphus intulit Romanam, ut abunde suppeteret, ni-
hilque deesset splendidissimæ urbi.

§. III.

Ad luxum Romanorum primum referimus iudos.

Hos ad splendorem & delectationem fuisse institutos, nemo ignorat. Erant hi partim privati, quibus singulari utebantur ad recreationem aliquam & voluptatem; partim publici, qui in solemni siebant conventu, cum singulari pompa magnificoque apparatu, & spectabant vel ad religionem, Deorumque iram placandam, vel ad gratiam populi demerendam, utque animi eorum his iudicis deliniti in officio continerentur. Ad illos pertinent latrunculi, tali, tesseræ, & cetera id genus, de quibus inter alios agit Thomas Dempsterus (a). Solemnes ludi originem a conditore urbis Romulo repetunt, qui ferias in honorem Equestris Neptuni vel Consi, unde Consualia sunt dicta, celebrandas curavit, convocatisque finitimi simul ludos fieri jussit, quibus virginis Sabinæ sunt raptæ (b). Romuli exemplum deinceps secuti sunt alii reges, secundum hos consules, postremumque imperatores, quare, procedente tempore, supra modum sunt aucti. Qui in Deorum honorem agebantur, sacri sunt dicti, & pro illorum multitudine erant varii. Hinc Megalentes, Cereales, Florales, Martiales, Apollinares, Capitolini, a numinibus, in quorum gloriam edebantur, nomen acceperunt. Alii ex voto pro victoriis vel bona valitudine instituebantur. Alii in defunctorum honorem siebant. Alii ludicri erant, qui exercebantur a pueris majoribus & minoribus turmatim congregentibus in circo, nec non a militibus in castris, nihilque aliud erant, quam exercitationes. Præter hos Triumphales adhuc erant, atque natalitii, ut cæteros præter eam. Quantum in hos ludos sumtuum impendebatur,

intel-

intelligere est facile. Loci, ubi exhibebantur, magnifice erant exstructi atque splendide ornati. Ante Tarquinium Priscum sivebant in insula Tiberina, ubi ab altera parte fluvius pro meta erat, ab altera limites stativebant enses, ut praesens ignaviae periculum esset. Ille vero primus Circo maximo, inter montem Palatinum & Aventinum, locum designavit, locaque patribus & equitibus divisit, furcis duodenos pedes ab terra alta spectacula sustinentibus (c). *Dionysius Hal.* qui hujus formam & structuram delineatam reliquit, (d) refert, eum non tantum rude aedificium exstruxisse, verum etiam elegantissime exornasse, & circumquadra operta tecto fecisse sedilia, quum antea stantes spectarent. Fuit hoc opus magnificentissimum, & maxime stupendum, utpote longitudine stadium trium, latitudine unius, sed cum aedificiis jugerum quaternum, atque sedi ducentorum sexaginta millium adaptatum, & nominat illud *Plinius* inter prima miracula urbis (e). Inter ornamenta hujus operis refertur obeliscus, quem *Cesar Augustus* in Circo magno statuit, excilus a Rege *Semneserteo*, centum viginti quinque pedum, & dodrantis, praeter basin eius lapidis (f). Fuere prater hunc etiam alii Romam advecti, quorum unus in campo erat Martio, cui Augustus addidit usum ad deprehendendas solis umbras, dierumque noctium magnitudines (g); Alter in Vaticano *Caii* & *Neronis* principum Circo collocatus (h), ut ceteros duos præteream, quorum etiam mentionem facit idem *Plinius*. Quanto labore & periculo haec vastissimæ molis corpora ex Aegypto Romam sint translata mari, intellige-

telligere est ex eodem (i). De stupenda navium magnitudine , quibus hæc advehebantur , narrat idem alio loco (k). Ut ad reliqua circi ornamenta redeamus , carceres , unde equæ emittebantur , primo ex topho lignoque fuerunt , quos deinde marmoreos fecit Claudius Imperator. Metas idem insigniores inaurari curavit . Solum minio & chrysocolla sterni voluit Caligula , scobeque auri atque argenti conpergi Heliogabætus. Ornamenti causa Deorum imagines gypseæ spoliaque suspendebantur (l). Præter circum maximum fuere etiam plures alii exstructi.

(a) In paralip. ad Rosinum , libr. V. cap. 1. (b) Liv. libr. I. (c) ibid. (d) Rosin. ant. Rom. libr. V. cap. 4. (e) libr. XXXVI. cap. 15. (f) ibid. cap. 9. (g) ibid. cap. 10. (h) cap. 11. (i) ibid. cap. 9. (k) libr. XVI. cap. 40. (l) Rosin. libr. V. cap. IV.

§. IV.

Ludi , qui in ireo instituebantur , dicti sunt Circenses , quod in circuitu spectaculis ædificatis fierent , & quod illic circum metas ferretur pompa , & equi currerent (a). Variæ erant horum ludorum formæ. Præter alia , gladiatores in his dimicabant , idque populo spectante , ut juventus cædium. atpe&tū in bello minus illas timeret. Cum bestiis pugnare hic etiam servi cogebantur. Exhibebantur hic species pugnæ equestris & navalis , nec non bigis & quadrigis certabatur. Ab his diversi erant Scenici , A:o urbis conditæ CCCXXL. instituti , ad placandam iram Deorum. Tenue fuit initium horum ludorum , ut ferme principia sunt omnia ; at postea , invalescente luxu , ad insaniam

saniam vix opulentissimis regnis tolerabilem venerunt
(b). Ab initio spectabant hos ludos stantes, postea sub-
sellia quisque secum ferebat. Tandem ædificia sunt
exstructa spectaculis idonea, quæ dicta sunt theatra;
ubi spectarent Deorum diebus festis ludos, sedentes
cum conjugibus & liberis. Tale factum primo a M.
Valerio, Messala & C. Cassio Longino Censoribus, di-
rutum vero fuit ut noxium reipublicæ, ex Senatus con-
sulto auctore P. Scipione Nasica (c). Inter temporaria
theatra cum primis celebratur illud, quod M. Scaurus
in ædilitate sua fecit, opus maximum omnium, quæ
unquam fuerunt humana manu facta, teste Plinio (d).
Scena ei triplex in altitudinem trecentarum sexaginta
columnarum. Imæ pars scenæ e marmore fuit, me-
dia ex vitro, inaudito etiam postea luxuriæ genere.
Summæ columnæ tabulis inauratis, imæ duo de qua-
dragenum pedum erant. Signa ærea inter columnas
tuere tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum
XXC. millia. Reliqvus apparatus Attalica veste, ta-
bulis pictis, ceteroque choragio supra modum insignis
fuit. Curio duo etiam fecit juxta amplissima theatra
pensilia, quibus circumferabantur spectatores (e); ubi
miratur Plinius super omnia populi Romani furorem,
sedere ausi tam infida instabilique sede. En hic est, ait
porro, ille terrarum vitor, & totius domitor orbis, qui
gentes & regna diribet, in machina pendens, & ad periculum
suum plaudens. Primum, quod maneret, theatrum
struxit C. Pompejus Magnus lapide quadrato (f), ad spe-
ciem illius, quod Mitylenis bello Mithridatico viderat.
Theatra velis etiam integebantur, ut ne spectatoribus
aëris

¶ ¶ ¶

aëris injuria, solisque ardor molestiam parerent. *Cætulus* purpurea primus invenit, qvum Capitolium dedicaret (*g*). Carbasina deinde vela primus in theatrum duxit *Lentulus Spinter* ludis Apollinaribus. *Cæsar* dictator totum forum Romanum intexit, viamque sacram a domo sua ad clivum usque Capitolinum, quod munere ipso gladiatorio mirabilius fuit visum (*h*). *Cn. Pompejus* aquam per semitas duxit ad minuendum æstivum fervorem. Varietate colorum adumbrata est Scena a *Ci. Pulchro*, argento prætexta a *C. Antonio*, auro a *Petrejo*, ebore a *Q. Catulo*. Versatilis est facta a *Lucullis* (*i*). In scenis exstruebatur etiam pegma, id est, machina quædam ludicra ex strue lignorum compacta, quæ ad tertiam quartamve contignationem exsurgeret. Decorabatur croco vino admixto, bracteisque aureis & argenteis. Struem hanc adscendebant gladiatores, qui succensa fabrica, librando se per medios ignes, populo oblectamentum præberent. Qui plura de spectaculis, eorumque ornamentiis, atque ludorum pompa, scire cupiunt, adeant Antiquitatum Romanarum Scriptores.

(*a*) *Varro L. L. IV. 32.* (*b*) *Liv. libr. VII.* (*c*) *idem libr. XLVIII.* (*d*) *Libr. XXXVI. cap. 15.* (*e*) *ibid.* (*f*) *Tac. libr. XIV.* (*g*) *Plin. libr. XIX. cap. I.* (*h*) *ibid.* (*i*) *Val. Max.*

§. V.

Postquam ludos Romanorum spectavimus, ædificia reliqua opera Romæ, quid in illis supra modum splendidi occurrat, considerare non injucundum foret. Verum qvum illa sint adeo ampla, utpote quorum universitate

versitate acervata, ut ait Plinius, & in quendam unum cumulum conjecta, non alia magnitudo exsurgat, quam si mundus aliis quidam in uno loco narretur (a); nostrique operis scopus non requirat, magnifica templa Deorum fere infinita, statuas atque colosso Romæ constitutos, ceteraque urbis miracula describere, igitur hoc labore supersedemus, & harum rerum studiosos ablegamus ad veterum monumenta (b). Erant vero potissimum tria, in quibus eluxit Romanorum hac in parte magnificentia; in viis nimirum imperii publicis, tanta cura & artificio stratis, ut earum ingentes partes hodienum, post tot seculorum decursum, maneant illæsæ. Ex. gr. via Appia, bis mille circiter annorum ætatem ita tulit, ut per plura millaria conspiaciatur integra. Alterum opus comprehendit aquæ ductus, non subterraneos modo, sed etiam penitiles super exstructos arcus, quibusque montes perforabantur, & convales æquabantur, adeo ut nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum testetur saepius a nobis adductus Plinius (c). Tertium erant receptacula omnium urbis solidum, vel cloacæ, quarum eam quæ maxima dicta est, cœpit parare Tarquinius Priscus, montibus suffossis, & urbe tornicibus suspensa (d); quod opus, licet in re vili factum videri posset, cum circo tamen magno comparat Livius (e): quibus, inquit, duobus operibus vix nova hec magnificentia quicquam adequare potuit. Cum primis notanda nobis hic venit L. Luculli in ædificando luxuries, qui exemplo suo cives ad luxum incitavit, judice Pellejo Paterculo (f). Ædificia fecit ingen-

tia Neapoli , quæ usque in medium mare porrige-
bantur. Tumulos suspendit fossulis , euripis & ri-
vis pesculentis ædificia sua circumjecit, diætas mari-
nas exstruxit. In Tusculano mediterraneas habuit &
speculas amœni prospectus, patentes etiam andronas
& ambulationes. In hæc & alia id genus , opes
armis paratas insignes , profudit. Domus at-
que villæ in urbium modum exædificatae erant, te-
ste *Sallustio* (g), ita ut una domus contineret circum-
fora, templa, fontes, balnea (b). Erant pavimenta
ædium pretiosa marmorea , postes deaurati. Colu-
mnæ etiam marmoreæ & insignis longitudinis, qua-
rum capita auro recta. Imo , in ipsis fastigiis ædium
pomaria & nemora crant (i).

(a) *Plin. libr. XXXVI. cap. 15.* (b) *Rosin. Ant. Rom. libr. II. cap. 6. 7 &c.* (c) *Plin. libr. XXXVI. cap. 15.* (d) *Histoire Romaine par. M. Rollin , T. III. Pref. Artic. II.* (e) *libr. I. cap. LVI* (f) *Plin. libr. XXXVI cap 15.* (g) *de bello Catilinario.* (b) *Mart. libr. XII.* (i) *Senec. Epist. CXXII.*

§. VI.

Ab ædificiis pedem ad convivia Romanorum
promoveamus. Erant mensæ apud veteres ex ulvis
palustribus, ut & lecticæ & ipsi lecti. Postea ex a-
cere conficiebantur, deinde ex ære & argento. Imo
laminis aureis obduci etiam cœperunt, & circuli gem-
mis ornabantur. Citreæ in pari cum nobiliiori Me-
tallo pretio habebantur. Fulcra harum eburnea e-
rant, laminis putaminum testudineorum lectis ob-
ducta. Ita de hoc luxu *Plinius* (a : *Excogitate sunt*
& ligni bracteæ nec satis , cœpere tinge animalium cornua,
dentes

entes secari, lignumque ebore distingvi, mox operiri. Placuit deinde materiam & in mari queri. Testudo in hoc se-cta, nuperque portentosis ingeniosis Neronis principatu inventum ut pigmentis perderet se, plurisque veniret, imitata lignum. Pestæ hæc in hos usus longe advehebantur, idque caro pretio, quod intelligere est ex Sene- ca, querente super immodica suæ gentis luxurie: Video, sit, elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pre-tiis emtas (b). Poculis ab initio utebantur fictilibus ex terra illa Samia, non tantum illi, quibus curta erat suppellex, verum etiam ditiores. Imo in Deorum etiam fanis & sacrificiis erat horum usus. Ex fago, oleagine, hedera etiam fuere confecta. At postea vitrea & crystallica accesserunt. Murrhina præsertim in luxuriosis nepotum conviviis adhibebantur. Qualis murrhinorum fuerit materies, non convenit inter omnes. Alii dicunt gemmata, alii porcellana, alii fossilis materia esse credunt. Quicquid sit, id tamen certo constat, hæc inter spolia opulentiora, quæ Pompejus ex Mithridatico bello Romam adulterat, referri a Plinio, & non vili pretio constitisse; ita enim ille: Eadem victoria primum in orbem murrhina induxit, primusque Pompejus sex pocula ex eo Triumpho Jovi Capitolino dedicavit, quæ protinus ad bonum usum transiere, ab acis etiam escuriusque basis inde expeditis: excrescitque indies ejus rei luxus, murrhino octoginta sestertiis emto, capaci plane ad tres sextarios calice (c). Ex electro præter alia vasæ etiam fiebant potoria. Ulus argenteorum & aureorum quoque invaluit.

Continentiores simplex argentum habere gaudebant; at prodigi insignes sumtus in mirabiles sculpturas profundebant. Insculpi his solebant gentilitia familiae stemmata, & præter hæc libidines & obsecrantes (d). Neque germatis carebant mensæ Romanorum, de quibus Plinius ita: *Nec hoc fuit satis, scil. crystallinis & Murrhinis uti, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices: ac temulentie causa tenere Indiam juvat* (e). Vasa etiam coquinaria argentea illis erant, & ad spurca quoque instrumenta auri argenteique copia adhibebatur (f). Erant Romæ ante bellum Sullanum lances e centenis libriss argenti, super quingentas numero (g); ut reliqua vasa præteream, tricliniaque argentea & aurea, aut pretiosissimis aulæis vestita, in quibus accumbebant convivæ, reliquaque in supellectili luxus instrumenta. De qua re Martialis (h) in *Quinctum*: *Constat decies tibi non spatiofa suppellexes, quod computante Meursio* (i) *quinquaginta millia carolinorum facit.*

(a) *Lib. IX. cap. II.* (b) *Senec. libr. VII. de ben. cap. IX.*
 (c) *Plin. libr. XXXVII. cap. II.* (d) *id. libr. XXXIII. præf.* (e) *ibid.*
 (f) *Martial. libr. I. Epigr. 37.* (g) *Plin. libr. XXXVII. cap. 2.* (b) *Libr. III. Epigr. LXII.* (i) *De luxur. Roman.*

§. VII.

Prilca Roma ut supellectili vili, sic parvo cibo & potu fuit contenta, quæ sæpius pulte, quam pane visitabat, ut dicit Valerius M. (a). At post Asiam ab ipsis domitam coquus, vilissimum antiquis mancipium estimatione & usu, in pretio esse cœpit, & quod ministerium fuerat, ars habebatur (b). Brevi gula ipsos vicit

vicit adeo, ut mensæ eorum plenæ essent omnium, quæ terra, mare, fluvius, aér ferunt, munerum, ingenioque se præstantiores ceteris tanto ducerent, quanto luxuriosiora convivandi genera excogitare possent nepotes. Ab his ad cives reliquos helluandi consuetudo permanavit, ut hominum, qui nec orientem unquam solem, nec occidentem viderunt, magnus Romæ numerus esset. Tot in mensa stationes fecerunt quidam, quot nomina sunt literarum, & per singulas literas sic disponi fercula curabant, ut quæ ex eadem inciperent esculentorum genera, ea certis imponerentur lancibus, qua ratione numerus illarum erat infinitus (c). In maximo pretio erant pisces, & potissimum mulli, qui a pondere aestimabantur, quod in ipso convivio, adstantibus & excipientibus notariis, pensabant. Selectis etiam avium partibus luxuriabant, in quibus prima gloria erat turdorum, qui stupendo pretio emebantur. Cibos, quos vicinia paravit, fastidierunt, & procul magno sumtu advenetos probabant, adeo ut orbis Europæus gulæ ipsorum non sufficeret, nisi ex oriente & Colchide, cibos, quorum laporibus adquiescerent, compararent. In cœna adventitia Vitellio a fratre facta, duo millia pilium, septem avium apposita traduntur. Ipse hic princeps immensam dedicavit patinam, in qua scarorum jecinora, tasianorum & pavonum cerebella, phœnicopterum lingyas, murænarum lactes, quæ a Carpathio usque Hispaniæque treto petebantur, commisicuit, ut Svetonius dicit. Rosinus ex Macrobio cœnam Metelli Pontificis, aëreis, terrestribus, & marinis

rinis divitiis superfluam sic describit: Ante cœnam echinos, ostreas crudas, quantum vellent, pelorydas, spondylos, turdus, asparagos, subitus gallinam altitem, patinam ostreorum peloridum, balanos nigros, balanos albos. Iterum spondylos, glycomarides, urticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprugnos, altilia ex farina involuta, murices & purpuras. In cœna sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas etiæ, lepores, altilia affa, amyrum, Panes Picentes (d). Una patina Aësopi histrionis constitit testertiis sexcentis (e), hoc est, ex computatione nonnullorum, triginta millibus florenorum. Seneca auctor est (f) tricies testertio aditiales cœnas frugalissimis viris constitisse, quæ summa ex Meursii calculo, quinquaginta millia florenorum facit. In hanc Romanorum gulæ libidinem, remotasque dapes comparandi studium graviter idem invehitur (g): Ultra Pba-sin, ait, capi volunt, quod ambitiosam instruat culinam, nec piget a Parthis, a quibus nondum pœnas repetimus, aves petere. Undique convebunt omnia, nota fastidienti gule, quod dissolutus venter vix admittat, ab ultimo portatur oceano; vomunt, ut edant, edunt, ut vomant, & epulas quas toto orbe conquirant, nec concoquere dignantur.

(a) Libr. II. c. 1. (b) Liv. libr. XXIX. c. 6. (c) Tb. Dempsterius in Paralipomenis ad caput 29. Rosini. (d) Rosin. Ant. Rom. libr. V. cap. 29. (e) Plin. libr. X. c. 51. & Val. Max. libr. IX. cap. 1. (f) Ep. XCV. [g] L. Sen. cons. ad Helv. cap. 9.

§. VIII.

Fercula illata carpebantur & dividebantur a servis, qui scissores & diribitores sunt dicti, idque ad concensus

tus musicos. Aderat præterea insignis ministrorum multitudo. Varia insonabant instrumenta, quorum præcipua fuere hydraulicæ, in quibus pedum manuumque agili ministerio pulsatis, aquæ motus musicæ efficiebatur. De artificio hujus organi agit *Vitrinius* (a). Ab initiis enascentis imperii epulis fides & tibias adhibere erat mos, verum luxu omnia occupante, Asiaque victa, ex musicis concentu ambire delicias cœperunt. Adhibebantur etiam non modo virginæ & pueri exquisitæ dicacitatis, qui vel convivis lavari vocis symphonia, voluptatem adferrent, vel petulantibus dicterioris illos incesserent; verum etiam pueræ, quæ modulatione vocis ad lyram apte compositæ illos oblectarent, vel ut lubricis indecorisque motibus venerem concitarent. Hæ ex Hispania sunt adductæ; illi ex Ægypto, & dicebantur ab effectu Symphoniaci, quorum meminit *Cicero* (b). Ingens erat horum numerus in magnatum conviviis, adeo ut in comedientibus unius nepotis & opulentri civis tot essent cantores, quot olim in theatro publico, quum tota adesset civitas (c). Alebantur hi a mangonibus, a quibus pro mercede ad privatas civium ædes & magnatum patlatia perebantur (d).

(a) *Libr. X.* [b] *Æst. VI in Verr.* (c) *L. Senec. Epist. 84.*
[d] *Rollin, loc. cit. Tom. V, ad finem.*

§. IX.

Postquam sic meniam Romanorum lustravimus, quid in illa luxus fuerit, ad corporis curam reliquam & vestimenta oculos iam convertamus. Corpora non lævigabant modo, sed illa etiam fuerunt unguento delibuta.

libuta. Ut aliæ gentes, Hunni, Scythæ, Sarmatae, Germani pellibus vestiebantur, ex quibus primus fiebat vestitus, sic iisdem etiam Romani in initio, & ipsi Senatores gaudebant, quod ex Propertio patet: *Curia prætexta, que nunc nitet alta senatu, pellitos habuit rusticæ corda patres (a).* Fiebant deinde vestes ex lana, eaque nativi & albidi coloris; dictiorum tamen splendentes paulo magis & nitidæ a fullonia arte reddebantur. Postea vero innotuerunt & in usum recipiebantur byssinæ, sericæ & purpureæ; pellucidæ atq; corporusque nihil celantes tandem corruptis moribus usurpari sunt cœptæ, quibus acriter irascitur Seneca: *Video, ait, sericas vestes, si vestes vocande sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit, quibus sumtis mulier parum liquido nudam se non esse jurabit. Hac ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur (b).* En pverlam morum licentiam! sequior sexus modum circa vestitum adeo excessit, ut canat Propertius (c): *Matrona incedit census induita nepotum.* Monilibus & margaritis non aures modo ornabantur, sed etiam catenæ pretiosissimæ e collo pendebant, & omnes digitorum articuli annulis & gemmis onerabantur. Specula illis erant ingentia auro & argento cælata, gemmisque adornata, ita ut unum pluris constiterit, quam antiquarum dos fuit (d). Sed nec virorum in vestibus prodigalitas minor. Muiebrem enim cultum ferre non erubuerunt, quod inter sui temporis luxus refert Tiberius Augustus in querela ad senatum (e). Vester uterque sexus multiplicabat, ut ad ostentationem in uno convivio sæpius mutare posset (f). Capillos ungventis

gventis inunxerunt, floribus & corohis condecorarunt, & calamistri inustione composuerunt; quam in capillorum superflua cura mollitiem ita reprehendit Seneca (g): *Quis est istorum, qui non malit rempublicam suam turbare, quam comam? qui non solicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? qui non contiose esse malit, quam honestior?* *Hos tu otiosos vocas inter pectinem speculumque occupatos?* Nec erant comæ ascititiae vel capillamenta Romanis ignota (h). Crinibus non modo adornandis aurum pariter & gemmas addere iuenerunt tam viri quam fœminæ, verum etiam calceis eadem & quicquid carum fuit apponere moris erat, adeo ut, cœu loquitur Plinius, per uniones etiam ambularent.

(a) Libr. IV. El. 1. [b] Libr. VII. de benef. (c) Libr. III. (d) Senec. nat. qu. L. I. c. 17. (e) Tac. Libr. III. ann. (f) Martial. libr. V. Epigr. 81. (g) De brevit. vite. (h) Sueton. in vit. Caligule & Claud. Neronis.

§. X.

De triumphali Romanorum pompa & insigni apparatus etiam quædam dicenda veniunt. Corona primum erat laurea, postea vero pro lauru aurum est suppositum (a). Non una tantum præferri solebat, sed plures, pro opulentia provinciæ in potestatem redactæ. In triumpho Pauli Aemilii, quem prolixe descripsit Plutarchus (b), quinquaginta coronæ aureæ, in Lucii Mannili Alcidini centum viginti quatuor sunt translatæ. Currus, quibus vehebantur, ad instar turris rotundi erant, ex ebore (c), quorum fastigia aureæ bractææ decorarunt. Imo aureis etiam victores triumpnarunt. Currum vehebant quatuor equi albi, quam-

diu stetit respublica, at mutata hujus forma, pro quis leones p̄mittebantur. Primus Romæ ad currum illos junxit *M. Antonius* (d). Elephanti primum subiere currum Pompeji Magni, Africano triumpho (e), deinde *Caii Cesaris*, *Claudii*, *Domitii* & *Alexandri Severi*, ut ex *Suetonio* & *Lampridio* videre est (f). *Heliogabalus*, gurges ille altissimus, vehebatur tigribus, leonibus, & canibus denique, ut exemplo careret. *Aurelianum Augustum* vehebant cervi; *Nero* equas hermaphroditas novo & portentoso exemplo junxit (g).

(a) *Vell. Paternus* libr. II. (b) *In vita ejus*. (c) *Ovid.* libr. IV. *Iris*, El. 2. (d) *Plin. libr. VIII.* c. 16. (e) *Ibid.* cap. 2. (f) *Ib.* *Dempster*, cap. 29. pag. 797. (g) *Plin. libr. II.* cap. 49.

§. XI.

Ad luxum, qui circa ritus Romanorum funebres deprehenditur, nam neque in morte ejus finis erat, reterimus p̄tērētū ludos gladiatoriōs. Ex Romanis, qui primus in defuncti patris honorem gladiatores dederit, dicitur fuisse *Junius Brutus*. Tunc lontes p̄missi sunt feris in arena, tanta immanitate, ut ab eo horrore matronæ publico edicto summo verentur. Monstrum illud hominis *Nero*, quadringentos senatorēs, sexcentosq; equites ad eam operam exhibuisse tertur. Alterum illud intelicitatis humanæ ludibriū *Domitianus* etiam sœminarum pugnas noctu edidit. Gladiatores, qui in his ludis dimicabant, dicti sunt bustuarii. Qui alerent illos, & propriis sumtibus publicam populi lascivientis voluptatem explerent, erant in urbe, & appellabantur lanistæ. Ernebant hi servos, quos privatim institue-

struebant, ut possent illos elocare (*a*). Stupendi etiam sumptus in iplam rogi struem, in pretiosissimas vestes, in auri, argenti gemmarumque copiam, quæ in rogum conjiciebantur, facti leguntur. Dabatur præterea sæpe epulum populo, & præter munera gladiatoria, alii ludi funebres, & magnæ sepulchrorum molles ergebantur. De Nerone perhibet Plinius (*b*), quod in funere *Poppæe* plus cinnamomi & casiae combusterit, quam toto anno Arabia universa ferret, quem summum quinque millionibus *Meursius* æstimat.

(*a*) *Ros. Ant. Rom. libr. V. cap. 24.* & *Dempst. in Paral. ad idem caput.* (*b*) *Libr. XII. c. 18.*

§. XII.

Ad luxuriam coercendam sanctæ sunt leges, quæ dicuntur sumtuariæ. Ad ludorum luxum reprimendum, legem tulit *C. Fannius Consul*, A:o urbis conditæ *XXXIX.* quæ ludis Romanis, plebejis & saturnalibus modum præscriberet. Iubebantur hoc senatus consilio Principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu convivarentur, jurare apud Consules, non amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque æris, præter olus, & far & vinum, neque vino alieno sed patro uterentur, neque argenti in convivio plus pondo quam libras centum inferrent (*a*). Caussam hujus legis latæ dicit tuisse *Samnonicus Severus*, quod respublica ex luxuria convivorum magna caperet detimenta, qvum gula illeicti plerique ingenui pueri pudicitiam & libertatem suam venditarent, & plerique ex populo Romano vino madidi in comitium venirent, & ebri de reipublicæ sa-

Iute consulerent (*b*). Ante Fanniam jam lex Orchia lata est , quæ numerum convivarum præscribebat. Exceptit illam lex Didia , quæ , qvum Itali existimarent , Fanniam legem in solam urbem esse conscriptam , etiam illos sumtuaria lege teneri , ostendit . Hæc pœnas statuit non solum illis , qui majori sumtu pranderent & cœnarent , verum convivis quoque , qui iis interercent . Licinia lex , kalendis , nonis , nundinis Romanis , cuique in dies singulos triginta tantum asiles edundi causa concessit ; ceteris vero diebus non amplius apponendum , quam carnis aridæ pondo tria , & saltamentorum pondo . Ex terra nata promiscue largiebatur . Secutæ deinde adhuc plures leges , modum sumtibus in conviviis definientes , Cornelia , Æmilia , Antia , & Julia , quas proponit Gellius (*c*) . Quibus luxus in vestitu fuit prohibitus , tulit *Cæcilius Metellus* , tribunus plebis ; in illis enim ratio poliendarum vestium præscribatur ; & *C. Oppius* de mundo muliebri . Hæc tamen post aliquot annos abrogata fuit , *M. Fundanio* & *L. Valerio* auctoribus . Legis , quæ sumtum sepulcrorum definierit , meminit *Cicero* , & funerariæ a *Cornelio Sylta latæ Plutarchus* (*d*) ; sed modum , quis fuerit non definiunt . Qvum iudi gladiatorii in inferiis adhiberi soliti insignes requirerent sumtus , & ea profusione multi ad inepiam redigerentur , sub *Tiberio* senatus consultum factum est , ut aliis id non liceret , nisi illis , qui quadraginta millia aut plus in centu haberent . Ad luxum etiam compescendum magui momenti erant censores (*e*) , qui mores & disciplinam curabant . Hi enim censendi populi & lustri faciendi causa ab initio creati ,

eo

eo processere, fit maximarum minimarumque rerum
 animadversionem haberent. Non enim omnia modo
 patrimonii, ætatis, ærtium, officiorumque discrimina
 in tabulas referebant, sed etiam circa morum discipli-
 nam occupati, dilpiciebant, quis opum usus & abu-
 sus, quis cultus, quæ incuria, quis focus & mensa,
 quæ institutio liberorum, & alia similia. Observabant
 itaque hi singulorum civium, etiam eorum, qui sena-
 torii aut equestris erant ordinis, mores & vitam, &
 ubi animadvertebant quidquam honestati contrarium,
 illud notabant ignominia. Censoris enim indicium, ut
 ait Cicero (f), nihil fere affert damnato nisi ruborem. Se-
 natorem hi morum magistri loco movebant, equiti
 vero adimebant eqvum & annulum. Si quis horum
 haberet eqvum gracilentum aut parum nitidum, im-
 politiæ, hoc est, incuriæ idem notabatur. Si quis
 agrum suum passus fuerat loredescere, aut arbores vi-
 neamque habuerat derelictui, erat & hoc opus cenlo-
 rium, & centores ærarium eum faciebant; h. e. non
 erat amplius in albo centuriæ suæ, ad hoc, ut civis es-
 set, sed tantummodo, ut pro capite suo tributi nomi-
 ne æra penderet. Ostendunt exemplis Valerius (g) &
 Cicero (h), quam graviter hæc ignominia virtutem a-
 cuerit; qui enim ita notabantur, rubore excitati omni-
 bus viribus incubuerunt, ut digni in posterum civi-
 bus viderentur, quibus dari potius quam objici cen-
 tura deberet. Magnopere commendat ejusmodi cen-
 suram Lipsius (i); & Besoldus (k) Rechenbergiusque (l)
 eam Christianæ reipublicæ maxime proficuam judi-
 cant.

[a] Rosin. ant. Rom. libr. V. cap. 13. [b] Id. libr. VIII. c. 13. [c] Noct. Att. lib. II. cap. 24. [d] In vita Sylla. [e] Alex. ab Alexandre genial. dierum libr. III. cap. 12. [f] IV. de republica. [g] Libr. II. cap. 9. [h] Pro Cuentio. [i] Polit. libr. IV. cap. 11. [k] Polit. libr. II. c. 3. §§. 29.30. [l] In dissert. de lege sumtuaria, aph. VIII.

§. XIII.

Licet dominantem luxum legibus & censura tolle-re, vel saltim ita, ut ne rempublicam everteret, mi-nuere studuerint Romani, fregit tamen hæc repa-gu-la, & una cum vitiis in omni vitæ genere succrevit u-berrime, atque ita invaluit, legibus sumtuariis & cen-sura velut in soporem datis, ut *Tiberius* apud *Taci-tum* (a) luxum inter prævalida illa & adulta vitia, omni medicina fortiora, quibus coërcendis impar esset civitas, & quæ per leges haud sisti posse vi-derentur, retulerit. Non tamen oratione illa sua o-mnia & satis valida extingvendi luxum remedia al-legavit *Tiberius*. Ad retrahendum enim cives ab hoc vicio plurimum valet principum & in illustri pos-itorum exemplum. Hinc morbum, cui reprimendo media valida nescivit *Tiberius*, *Vespasianus* luctulit, non pœnis, non legibus, sed suo exemplo; antiquo ipse cultu victuque, unde obsequium in principem, & æmulandi ardor (b). Eandem laudem *Alexander Se-nerus* habet: Prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit. Imitati sunt eum magni viri (c). Et Theo-dosius hunc in modum alloquitur *Pacatus* (d): a te voluisti incipere censuram, & impendia palatina minuendo,

nec

nece solum abundantem rejiciendo sumtum, sed vix necessaria usurpando dimensum: quod natura difficillimum est, emendasti volentes. Hinc etiam præclare Cicero (e): *Licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuisse.* Et paucis interjectis: *Ego nobilium vita viciisque mutato, mores mutari civitatum puto.* Ipsæ etiam leges sumptuariæ, modo vigilanti semper executioni citra personarum respectum fuissent a censoribus mandatae, & instrumenta luxus, potissimum exotica, severe prohibita, obsecem serpenti huic per viscera reipublicæ vitio potuissent. Quibus adjungi potuissent alia etiam remedia. Ex. gr. si certis rebus ac mercibus, in quas sumptus profundere, & circa quæ splendorem affectare solebant, fuisset dignatio ac præstantiæ opinio ademta. Quod artificium inutili sumptuum profusioni coercendæ adhibuit Zaleucus (f). Luxus vero, qui rigore legum modico & veteri disciplina revocata corrigi & eliminari potuisset, per indulgentiam aut negligenciam ita increvit, ut caussam admodum debilitati imperii Romani divitiis earumque per luxum abusui Florus non dubitet adscribere (g): *Quæ, inquit, alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas?* Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni regis hereditas. Ille opes atque divitie affixere seculi mores, mersamque vitiis suis, quasi sentina reipublicam pessimamente dedere. Unde enim populus Romanus a tribunis agros & cibaria flagitaret, nisi per famem, quam luxu fecerat?

serat? Invalescente enim luxu opes tam publicas quam privatas Romani imperii minui necesse erat, prisca virtus inter voluptates fere emoriebatur, & quæcunque vitia regnare cœperunt, quibus labefactatum est tandemque corruit magnum imperium.

- (a) *Annal. libr. III. c. 53.* (b) *Tacit. annal. III. cap. 55.*
 (c) *Æl. Lampridius in vita ejus cap. 41.* (d) *In Panegyrico.*
 (e) *Libr. III. de legibus cap. 14.* (f) *Apud Diodor. Siculum,*
libr. XII. c. 21. (g) *Libr. III. c. 12.*

SOLI DEO GLORIA.



Viro JUVENI

Politissimo

D:no PETRO SONCK,
CONSOBRINO dilectissimo.

HAUD mediocrem animo percepi voluptatem, quum fama ad me pertulisset, Te, Consobrine carissime, specimen editurum Academicum. Ob sanguinis igitur, quo Tecum junctus sum vinculum, non potui, quin his industriae & dexteritatis Tuae primiis, gratulationem & vota mea, ex sincero affectu adponerem. Quanta diligentia atque quam assidue literis invigilaveris, haec Tua lucubratio satis testatum. Si enim materiam, quam selegisti, vel utilitate metiaris, vel dignitate aestimes, cum ceteris argumentis quibuscunque ex aequo certat. Non recentioris, nec medii aevi facta examini subjecisti, sed ex antiquorum monumentis quod differeres accepisti; quo enim quid antiquius in hoc genere, eo id præstantius, saltem ad laudem amplæ eruditionis comparandum illustrius censere solent. Non id ex veteribus examinandum suscepisti, quod vel nullius vel exigui modo est ponderis, sed argumentum invenisti maxi-
mi momenti, quod ad rem privatam pariter atque publi-

publicam spectat. Non denique de obscura gente agis,
sed de illa qua orbis terrarum olim domina fuit. Lu-
xus Romanorum est, in quo fideliter describendo aspi-
duam navasti operam. Pestem illam hic narras, qua
Romano imperio aliisque mala peperit plurima. Rem
igitur, Consobrine dilectissime; omnibus gratissi-
mam facis, dum, quid mali hac lues olim in Civi-
tatem Romanam importaverit, palam fecisti, ut no-
stris avi homines alienis potius quam suis ipsorum ma-
les sapere discant, atque intelligere, quam sit turpe
luxuria diffuere, ac delicate & molliter vivere.
Gratulor Tibi studium in literis colendis indefes-
sum, nec non ulteriores adhuc posthac sperandos
profectus; uberrimaque tandem laborum præmia ut
consequaris, ex quibus tantum Tibi adveniat ho-
noris & emolumenti, quantum mihi Tuisque ex
accesione Tua felicitatis accedit gaudii & solatii,
quam fieri potest propensissimo affectu voveo.

JOH. GEORG LOVEEN.